STEPHANVS,

Dei gratia REX Poloniæ, Magnus DVX Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, etc. PRinceps Transiluaniæ etc. SIGnificamus præsentibus literis nostris quo:
rum interest vniuersis et singulis. Deductam esse ad nos et Juditium nostrum ex appellatione à sententia certorum Commissariorum nostrorum interposita, causam et actionem, in:
ter nobilem Petrum Maslowski Cancellariæ nostræ minoris notarium actorem ex vna, et Famatos PROconsulem, consules totamque communitatem Ciuitatis nostræ Wielunen.
partem conuentam parte ab altera, occasione exemptionis Aduocatiæ Wielunen. de manibus ipsorum conuentorum, coram instantia et Juditio ipsorum Commissariorum no:
strorum motam atque agitatam, vti ea omnia in Actu commissariali latius habentur descripta. In termino itaque hodierno ex ipsa appellatione proueniente et hucusque continua:
to. Partibus ipsis actorea per se, Citata vero per Jnterminios et legitimos Plenipotentes suos, Famatos Stanislaum Zolowskj Jedinak consulem, Gabrielem Mikosch seniore
communitatis Ciues Wielunen. coram Juditio nostro comparentibus et eum terminum appellationis iuditialiter attentantibus. Et actorea quidem parte sententiam Comis:
sarialem, qua Priuilegia originalia super Aduocatiam ipsam Wielunen. seruientia, conuentam partem coram Juditio suo Commissariali reponere, summam in ipsis literis
originalibus expressam, Jn deffectu vero originalium Priuilegiorum ex taxatione prouenien. recipere, de percepta quietare, deque Aduocatia condescendere, pronuntiatum
est, approbari affectante. Conuenta vero parte, productis literis pargameneis, titulo et SIGillo zona sericea subappenso, Ser.mi olim SIGISmundi Augusti REGIS Prædé:
cessoris nostri piæ memoriæ, et manu R.ndi olim Joannis Przerembskj REGni huius Vicecancellarij communitis, de data Warschouiæ in conuentione Regni generali, feria
secunda proxima post festum sanctorum Trium Regum, in Anno domini, millesimo, Quingentesimo, Quinquagesimo septimo emanatis, Jncorporationem Aduocatiæ
Wielunen. partim jure permutationis certæ, partim vero jure redemptionis, consensu diui olim SIGISmundi Regis ad id accedente, in se continentibus. Tum etiam exhibita
minuta ex Actis Capitanealibus Castren. Wielunensibus, et ex terminationibus Decretorum eisdem Actis insertorum, super bona Regalia vigore conuentionis Warscho:
uien. autentice sub propria Generosi Stanislai Przedbor de Koniecspolie Capitanei Wielunen. manu desumpta, Testimonium producti coram Reuisoribus REGni Jn:
corporationis supra recensitæ Aduocatiæ Priuilegii sui, et Decretum eorundem Reuisorum (quo bonam esse ipsam incorporationem vti etiam antea Ciuibus colensibus
concessa erat, saluis juribus Aduocatialibus adinuenerint, idemque Reuisores eodem Decreto suo testantur, Produxisse conuentos et alias plures literas super cer:
tas sortes Villarum hæreditariarum, quas pro ipsa Aduocatia dederunt, quas et ad præsens possident, et super alias res. Verum ea non subiacere exequutioni) in se
continente, de Actum Castro Wielunensi feria quinta ante festum sancti Joannis Baptistæ, Anno domini, millesimo, Quingentesimo, sexagesimo quarto. Senten:
tiam ipsam Commissarialem retractari et se circa jura et Priuilegia sua supra producta conseruari affectante. NOS cum Consiliarijs et Jurisperitis Curiæ nræ,
audita partium ipsarum controuersia, PRiuilegioque et Decreto ac aliis juribus Ciuibus Wielunensibus reuisis, ac debito modo expensis. Sententiam Comissaria:
lem juribus ipsorum conuentorum contrariam retractauimus, eosdemque conuentos inhærendo eorundem PRiuilegio et Decreto Reuisoriali ac aliis juribus
illorum coram productis, circa Jncorporationem ipsius Aduocatiæ Wielunen. iuxta tenorem et exigentiam Priuilegii ipsius incorporationis et Decreti Reui:
sorialis conseruauimus, simulque à causa præsenti liberam ac absolutam pronuntiauimus, vti quidem conseruamus et pronuntiamus præsenti Decreto nro
mediante. Jn cuius rei fidem et testimonium SIGillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Warschouiæ in Conuentu REGni generali, feria secunda
in crastino festi sancti Nicolai, Anno domini, millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo Nono, REGni vero nostri Anno Quarto

P. Ill.mi R.ndi Joannis Borukowskij
de Bielino REGni Poloniæ Vi:
cecancellarij Præpositi Lan:
citien. Decani Warsauien. etc.

Decreti inter Nobilem Faustodsky et Cives Wielunenses super Advocatiam Serenissimi Regis Stephani Anno 1579

1579.

Dypl. 465

[illegible] Nro 25

1902. a. 265.

Nro 3